

HORATIVS ANTONIVS BOLOGNA

QVOMODO AVGVSTVS

SIT RERVVM POTITVS

RATISBONAE

a. d. XVI Kal. Oct. a. MMIX

Hoc in suggestum, auditrices humanissimae, ornatissimi auditores, sum ascendere uocatus, ut opimam casibus, bellis ciuilibus atrocem, oratiunculam adgrediar. Caesar ferro transfoditur, bellum ciuile reparatur, uterque consul, uolneribus alter, alter in acie interimitur, donec Octauianus, non uirtute sed armis ac ui consulatum adeptus, uictor euadit, rerum potitur. Nam Id. Mart. anno Urbis DCCIX, Caesar in Curia Pompeiana per coniuratos necatur, qui publicam rem ab unius dominatione se liberaturos sperabant. Populus Romanus interfectores primum homicidas tum parricidas uocat et ferro, igni, quacumque ui posset, exequitur, quamuis aliter Antonius agat senatusque sentiat.

Tunc autem temporis Octauius studiorum perficiendorum causa, cum paucis adolescentulis, in quibus M. Agrippa potissimum obtinebat locum, Apolloniae morabatur, ubi centurionum ductu artem militarem discebat. Quem, nepotem paene adolescentem, Caesar, cum esset indolem expertus et animum, filium adoptauerat, bonorum heredem testamento reliquerat, nomen suum ferre iusserat. Exinde adolescens est C. Iulius Caesar Octauianus appellatus. Qui, tanto nomine ornatus atque auctoritate, publicam etiam rem, uelut in hereditatem relictam, capere statuit, tenere non dubitauit.

Cum autem esset in Graecia nuntiatum Caesarem interfectum, Octauianus in Italiam contendit, ut patris uestigia secutus, rerum potiretur. Quid adolescens, Apolloniam reliquens, statuerit, quid in itinere cum administris decreuerit, quos et quam multos ad exercitum in inferiore Italia conscribendum miserit, nullus rerum scriptor posteritati tradidit.

Sed incepti narrationem, de quo acturus sum, Octavianus, perpaucis mensibus ante quam uita cessisset, exarauit ipse et *Res Gestas* inscripsit uirginique uestali maximae demandauit¹. Quas *incidi in aeneis tabulis, quae ante Mausoleum statuerentur*,² iussit. Per hoc documentum Octavianus, admodum iam senex, quod ipse uerum duxisset uel sibi uerum esset uisum, posteris tradidit ipse. Hoc tamen documentum, quod ad res ab Octauiano gestas declarandas maximi momenti ducimus, principis tantum ueritatem continet. Nihilominus nobis est illa detegenda ueritas, cuius auxilio, quomodo Octavianus sit reapse rerum potitus, ostendamus. Principis autem ueritas haec est: *Annos undeuiginti natus exercitum priuato consilio et priuata impensa comparauit, per quem rem publicam a dominatione factionis oppressam in libertatem uindicauit*.³

Locus, quem rettulimus, est Rerum Gestarum exordium, documentum uel minax uel subtile uel fastidiosum, quod Augustus iussit, ut coram patribus a Tiberio legeretur et in laminis marmoreis incisum in praecipuis imperii Romani ciuitatibus collocaretur. Per illa uerba Octavianus maxima cum diligentia se ex lege omnibus magistratuum gradibus ascendisse, cursum transcurrisse fatetur, etsi primum consulatum uiginti annos natus erat armis adeptus.

Octavianus enim, haud a Brundisio longe appulsus Romamque contendens, contra legem ac ius exercitum nec consulum nec senatus iussu, sed *priuato consilio et priuata impensa* comparauit.

¹ SVET., *Aug.*, CI.

² *Ib.*

³ AVG., I, 1.

Illa uero tempestate, uti constat, est tetrum Pompei exemplum secutus atque imitatus, qui admodum iuuenis in nonnullis Italiae regionibus legionum delectum indixit.

Octavianus autem, nonnullis post annis, ut primum consulatum se ex lege adeptum putaret populus, triumviri munus sibi uindicauit. Quae quidem omnia, ut populo Romano et posteris ex lege facta uiderentur, hanc ob rem se perfecisse diulgauit. Immo per Res Gestas, quas est multos per annos meditatus et maxima cum cura exarauit, haec audet scribere uerba: *qui parentem meum trucidauerunt, eos in exilium expuli iudiciis legitimis ultus eorum facinus, et postea bellum inferentis rei publicae uici bis acie.*⁴

Quibus prolatis, ad illa uerba *a dominatione factionis* mentem parumper uertamus oportet, quia Octavianus, idem documentum lingua Graeca conscribens ipse, eo quidem loco est haud fortuito his usus uerbis: ἡμῶν τῶν τῆν συννομῶν ἀπὸ δουλείας, id est *a coniuratorum seruitute, a coniuratorum factione*, quae publicam armis oppressam habebat rem. Coniurati, ut par est, sunt procul dubio Caesaris interfectores, quos illa senatus pars, Octavianum primis contra legem inceptis iuuans eidemque omnimodis fauens, rei publicae liberatores ac seruatores solebat appellare. Nam illius sermonis peritissimus, quem in extrema re publica in negotiis uersantes adhibebant, scite Octavianus selegit locutiones, ut animos moueret, quae sibi proposuisset apud auditores cieret. Ideo consilio adhibuit uerba *rem publicam a dominatione factionis oppressam in libertatem uindicauit*, quibus Caesar Lentulo Spintheri aperuit, qua de causa esset Rubiconem transgressurus

4 *Ib.*, 2.

inceptumque incoaturus, quod dicis gratia tantum contra leges putaretur: *ut se et populum Romanum factione paucorum oppesum in libertatem uindicaret.*⁵

Octavianus enim, cum ad illas orientis scriberet nationes linguam Graecam adhibentes, iisdem uerbis explicat, quomodo sit reapse *factio* interpretanda: rei publicae oppressores esse Caesaris interfectores.

Sed per *factionem* uocem non hos aut haec solum ostendere uoluit Octavianus, qui conspicabatur coniuratos, facinore patrato, in illis regionibus amplos consensus adeptos, crudeles fuisse raptores ac praedones. Italis uero Romanisque maxime, qui memoria tenebant anno, quo Caesar transfossus erat, coniuratos, Roma relicta, ex Italia erupisse, parum callide Octavianus *rem publicam oppressam* adhibuisse uidebatur, quoniam illa tempestate, senatus Ciceronisque fauore, ipse *priuato consilio et priuata impensa* copias comparabat. Nam orator, mortuo Caesare, spe fore ut res publica restituatur, Antonii partibus obstat, fauet Octauiano, quem adolescentem ad optimatium partes allicere putet. Romanas tamen Italicasque res nec non bellum Mutinense memorantibus uerba illa alterum praecipuumque significatum praebuerunt, ut perpaucis post annis Velleius Paterculus, *Rerum Gestarum* exordium hoc interpretatur modo: *torpebat oppressa dominatione Antonii ciuitas... cum C. Caesar undeuicesimum annum ingressus, mira ausus ac summa consecutus, priuato consilio...*⁶

5 CAES., *Ciu.* I, 22.

6 VELL. II, 61, 1.

Per sibyllinum illud *a dominatione factionis oppressam* Octavianus rem publicam esse ab Antonii dominatione oppressam significauit. Quae interpretatio, cum unam Augustus esse ueram habendam exoptauerit, est maxima consideratione digna, etsi callidus princeps fecit, ut omnes sibyllini exordii explicationes essent simul cum uerae tum falsae. Simulatum tamen uidetur Antonium, quocum legitimum constituisset triumuiratum, factiosum ab Octauiano nuncupatum. Factionem contra illam senatus partem designauit Augustus, quae, rei publicae faulrix, contra Caesaris partes acrem animum ostendebat. Hanc quoque interpretationem praebet Augustus, qui mente tenebat senatum, in Caesaris Antoniique partes repugnantem, ipsum Caesaris nepotem elegisse, praemiis ornauisse, donis erexisse, ut ab illa liberaret factionem, quae ad libertatem tuendam acriter propugnaret. Quod est reapse factum. Nam Octavianus illam scite decepit factionem, ad quam seruiendam ac tuendam priuatum contra legem exercitum adulescens adhuc atque priuatus comparauerat; ab illa factione praemia dona honores accepit; eandem denique factionem nonnullis post annis trucidari iussit: nec enim Octauiano quisquam crudelior fuit uir nec impudentior.

Augustus autem per Rerum Gestarum exordium uera dicit, quamuis alii Caesaris interfectores, Antonii partes alii factionem esse censeant. Sed Tacitus, rerum Romanarum peritus, haud fortuito exordium illud hoc interpretatur modo: *Dicebatur contra: pietatem erga parentem et tempora rei publicae obtentui sumpta: ceterum cupidine dominandi concitos per largitionem ueteranos,*

*paratum ab adulescente priuato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam Pompeianarum gratiam partium.*⁷

Hic uero, auditores, ad Id. Mart. parumper reuertamus oportet, ut animos intendamus uel ad illa post Caesaris mortem incepta, uel ad praecipuum documentum, quod in Familiaribus Ciceronis seruatur epistulis. Quomodo sit ad Ciceronem epistula delata, ignoratur. Ceterum Cicero, nonnullis annis ante pater patriae, immo alter Romae conditor appellatus, uel apud patres uel apud optimates uel apud plebem plurimi ducebatur. Documentum est epistula, quam Decimus Brutus postridie Id. Mar., ut rerum Romanarum periti putant, ad M. Iunium Brutum et C. Iunium Longinum misit. Nam Caesare necato, coniurati uelut libertatis renouatores patriaeque conseruatores, ferrum cruentum agitantes, primum Capitolium tum forum petiuerunt, ubi Cornelius Cinna ad populum tacentem acerbe in dictatorem dixit.

Antonius tempore, quo Caesar transfodiebatur, extra curiam Pompeianam a Trebonio retinebatur; Caesaris morte cognita, ueste seruili fugit. Sed paucas post horas cum praeter uacuum libertatis nomen nullam esse coniuratis rationem, nullum rei publicae restituendae consilium, plebem in incerto, coniuratos a fautoribus pressos compererit, primum rei euentus experitur, tum iuuante fortuna rem tenet. Callidus enim uir natos ad libertatis restitutores mittit, tum Cassium apud se, apud Lepidum Brutum cenare nuntiari iubet. Ceterum per M. Brutum, Cassio fautoribusque nolentibus, erat Antonius seruatus: illum quoque, Cicerone suadente, esse Id. Mart. necandum. Coniurati autem per Antonii

⁷ TAC., *Ann.*, I, 10.

milites in tuto erant, sed plebis pauore capti, in discrimine uersabantur. Nam incertum post plebis fauorem furor per urbem manabat, ira in coniuratos ferocior fiebat, etsi nullum aderat uitae periculum, ut ex D. Bruti epistula comperimus: *Quo in statu simus cognoscite. Heri uesperi apud me Hirtius fuit; qua mente esset Antonius demonstrauit, pessima scilicet et infidelissima. Nam se neque mihi prouinciam dare posse aiebat neque arbitrari tuto in urbe esse quemquam nostrum; adeo esse militum concitados animos et plebis. Quod utrumque esse falsum puto uos animaduertere atque illud esse uerum quod Hirtius demonstrabat, timere eum ne, si mediocre auxilium dignitatis nostrae habuissemus, nullae partes iis in re publica relinquerentur.*⁸

Sin autem Decimus Brutus, Caesari iustis confectis ac seditione plebisque consternatione gliscente, epistula scripsisset, graui periculo cognito, esset socios hortatus, ut ex Italia profugerent. Qui contra, formidine captus, addit: *Cum in his angustiis uersarer, placitum est mihi ut postularem legationem liberam mihi reliquisque nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quaereretur. Haec se impetraturum pollicitus est, nec tamen impetraturum confido; tanta est hominum insolentia et nostri insectatio. Ac si dederint quod petimus, tamen paulo post futurum puto ut hostes iudicemur aut aqua et igni nobis interdicator. “Quid ergo est” inquis “tui consili?” dandus est locus fortunae, cedendum ex Italia, migrandum Rhodum aut aliquo terrarum arbitror. Si melior casus fuerit, reuertemur Romam; si mediocris,*

8 Cic., *Fam.*, XI, 1.

*in exsilio uiuemus; si pessimus, ad nouissima auxilia descendemus.*⁹

Insequenti autem die, a. d. XVI Kal. Apr., Ciceronis auctoritate, senatus Caesaris interfectores veniam dat atque impunitatem, eodem quidem tempore dictatoris sancit acta, Caesari iusta inter plebis permotionem conficiuntur, impulsore Amatio, quem paucis diebus post Antonius, rerum arbiter, sine iudicio necari iubet. Caesaris actis seruatis Decimus Brutus, praetoris munere functus, Galliam Cisalpinam in proximum annum obtinet. Qui, nullo interiecto tempore, mense Aprili Romam relinquit, in Galliam Cisalpinam contendit, magistratum init. Sed Antonius consul, quo rem firmiter teneat, partes suas Caesarisque firmet, se omnia comprobare simulat; sed mense Iunio patres cogit, ut *prouinciarum commutationem* auctoritate sua confirment ipsumque, consulatus munere functum, proconsulem in Galliam Cisalpinam in quinquennium mittant.

Sed *prouinciarum commutationem* insequentibus diebus Pompeiana senatus pars acriter oppugnat, ne duo magistratus insequenti anno de eadem prouincia rixentur. Violentum statim oritur dominationis certamen, belli Mutinensis principium, quod, uti constat, ciuium bellum ducitur. Nam una ex parte M. Antonius consularis per legiones Galliam Cisalpinam obtinere conatur, ibique proconsul magistratum ineat; altera uero Decimus Brutus propraetor Mutinam copiis tenet, prouinciam mense Martio sibi datam defendit. Vterque magistratus Gallia Cisalpina potiri cupit: qui regionem occupet, ipsum Italiae Romaeque maxime

⁹ *ib.*

principatum obtenturum. Kal. Ian. insequentis anni Aulus Hirtius et Vibius Pansa, consules facti, magistratum ineunt; ciuium orto bello, a senatu Decimo Bruto uterque auxilio mittitur.

Huc accedit, ut uterque consul magna consuetudine Ciceroni coniungatur, qui longam post peregrinationem domum reuersus, Pompeianae senatus parti praeest, omnimodis senatui suadet, ut Antonium, cum Galliam Cisalpinam sit armis adgressus, hostem publicum iudicet ac damnet, irritam prouinciarum permutationem ducat, ad Caesaris acta reuertatur. Sed mense Septembri partes Pompeianae sunt ex improvise audentiores factae.

Hic uero, quibus uiribus, quibus sint copiis usae, quas Antonio eiusque legionibus comparare possint, inquirendum uidetur. Eodem quidem mense in solem atque puluerem se Octavianus repente producit. Adulescens enim post Id. Mar. unus fuit dictatoris heres, a. d. VII Id. Maias per adoptionem C. Iulius Caesar Octavianus factus, per tribunum se Caesaris filium et heredem in populi Romani conspectum procedit. Matre hortante, ne tantam fortunam, eandemque inuidiosam, sumeret, quia *salutaria rei publicae terrarumque orbis fata conditorem conseruatoremque Romani nominis ducerent, spreuit itaque caelestis animus humana consilia et cum periculo potius summa quam tuto humilia proposuit sequi maluitque auunculo et Caesari de se quam uitrico credere, dictitans nefas esse quo nomine Caesari dignus ac fidelis esset uisus, semet ipsum indignum uideri.*¹⁰

10 VELL., II, 60.

Cum autem Octavianus, Brundisio relicto, Appia uia Romam contendat, ueterani et fideles Caesaris milites imperatoris sui filium atque heredem acclamatum et salutatum veniunt ipsi, qui plures in dies eo congregantur consilio, ut priuatum faciant exercitum. Agmen, Octauiano duce, Romam accedit, ad urbem castra ponit. Duo praeterea legiones, Martia et Quarta, ad exercitum augendum ad Octavianum deficiunt. Qui, ut a Velleio accipimus, *cum intraret urbem, solis orbis super caput eius curuatur*.¹¹ Postea est haec fabula ficta: Apolloniatis, cum profecturum retinere conarentur, Octauium respondisse se proficisceretur oportere.¹²

Octavianus autem, ut par est, in certamen statim et in odium cum Antonio uenit. Qui taedio et contemptu adolescentem afficit, quoniam acie instructa illum nec militem nec ducem umquam conspexisset. Octavianus re uera nec fortem militem nec strenuum umquam se ostendit ducem. De nonnullis facinoribus, quae antiquis ipsis sunt fabulosa uisa, uera nullus rerum scriptor aut inquisitor inuenit. Fabulosae quoque insidiae uidentur, quibus Octavianus aduersarium necari iusserit. Quam occasionem nactus, Antonius populum concitat, exercitum sollicitat, senatum in Caesaris heredem mouet, ut periculosum aduersarium amoueat, pellat, delet. Verum an falsum sit facinus, ignoratur. Sed uerum est Octavianum incolumem euasisse et esse occasionem nactum, ut patris ueterani ad copias augendas undique conuenirent.

11 VELL., II, 59.

12 NIC. DAM., *Aug.*, 45.

Antonium uero facinora molientem haec omnino fugerunt: Octavianum, se cum rei militaris imperitum expertemque ducat, callidius omnium opinione cepisse consilium. Nam illa tempestate, cum nullum utilius sibi uideretur inceptum, se imperata senatus facturum promittit, se Ciceroni reverentem ac deuinctum simulat. Cicero insuper persuasum habet se, cum senex rerumque quam qui mxime sit peritus, ita iuuenis animum tractaturum, ut Antonium Caesarisque factionem per ipsum Caesaris filium deleat. Haud fortuito Tacitus, ut rettulimus, scribit: *simulatam Pompeianorum gratiam partium*. Ideo Cicero a. d. IV Id. Iun. ad Atticum de Caesaris herede scribit: *in Octauiano, ut perspexi, satis ingeni, satis animi, uidebaturque erga nostros ꝛrwaj ita fore ut nos uellemus animatus*.¹³

Per ꝛrwaj autem uerbum, litteris Graecis scilicet exaratum, Caesaris interfectores nuncupantur. Perpendendum hic est, quomodo Octavianus sit tam callide uersatus, ut quae sentiret palam simularet, Ciceronem deciperet, se erga patris interfectores studiosum atque officiosum ostenderet, eodem quidem tempore patris mortem uindicaturus copias conscriberet. Ideo Cicero de Octauiano in eadem epistula addit: *sed quid aetati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid kathc»sei, magni consili est. [...] Sed tamen alendus est et, ut nihil aliud, ab Antonio seiungendus. [...] Pansae autem et Hirtio non nimis credebat. Bona indoles, ꝓn diame...nV*.¹⁴

13 Cic., Att., XV, 12, 2.

14 *Ib.*

Cicero quoque, cum munere atque auctoritate se praepollentem rei publicae restituendae utilem atque necessarium ducat, adolescentem illum parui ducit ipse. Quo fisis consilio, paucis post diebus ad populum aspere de Antonio loquens, his laudibus Octavianum afficit: *Ita enim ad rem publicam accessit ut eam confirmaret, non ut euerteret. Omnis habeo cognitos sensus adolescentis. Nihil est illi re publica carius, nihil uestra auctoritate grauius, nihil bonorum uirorum iudicio optatius, nihil uera gloria dulcius. Quam ob rem ab eo non modo nihil timere sed maiora et meliora exspectare debetis.*¹⁵

His quidem ex uerbis comperimus periculosa illa tempestate quam callidus fuerit Octavianus. Qui sciens altera ex parte cum Cicerone ac Pompeianis partibus stat, altera uero Hirtii et Pansae discrimen atque angustias nanciscitur, quia consules, cum Caesaris partibus fauissent ac fauerent, ob magistratus munus contra Antonium, Galliam Cisalpinam armis petiturum, erant a senatu missi.

Quibus gestis, Octavianus magnam sibi comparauit auctoritatem, quae, dum Caesaris partes cum Antonio diuidit, tanti fuit ponderis, ut se Antonio parem, immo aduersario fortiorem ostenderit. Ideo in Rerum Gestarum exordio, faciem auersam legibusque uetitam, eandemque Caesarianam, memorans et quam delere satuerit infinite factionem ponens, scribit: *exercitum priuato consilio et priuata impensa comparauit, per quem rem publicam a dominatione factionis oppressam in libertatem uindicauit.*

15 Cic., *Phil.*, V, 50.

Ceterum inter diuturnam contentionem Octavianus acrius in partium suarum aduersarium quam contra aduersas partes earumque fautores ostendit odium. Quo fit, ut Antonius primum inimicus tum hostis ducatur, Cicero contra aliquot per menses laudibus ornatur, primor putetur et magister.

Ceterum Octavianus, Ciceronis auxilio, cursum suum transcurrit: propraetor factus, exercitum iure ac legibus habere potest et conflare, bello contra Antonium interest, haud inuitus consulum auctoritati cedit; cum suis copiis, ipsorum ductu consulum, Antonium adgreditur. Cum autem Octavianus, copias suas consulibus tradens, compertum habeat se contra legem legionum delectum breui frustrare ac perimere, Arimini tamen, quod oppidum est haud a Gallia Cisalpina longe situm, Aulo Hirtio, belli moderatori, ita officiosus se praebet, ut graui quodam modo haec Ciceroni scripserit: *Roga ipsum quem ad modum eum ego Arimini acceperim.*¹⁶ Quae cum faciat, callidus adulescens, minime calliditatis expers, haud secus ac pater adoptiuus longius oculos uertit ac mentem.

Perpaucis post diebus, a. d. XIV Kal. Apr., Vibius Pansa a senatu in Galliam Cisalpinam mittitur, ut bello cum collega praesit. Octavianus tamen, cum sit in ordinem inferiorem relatus et a se consulibus parendum, quibus erat bellum delatum, bello confecto, nihil praeter nomen sibi futurum sciebat, quoniam legiones, etiamsi res aduersae fuissent, a consulibus haud facile defecissent. Ex hac igitur tempestate Octavianus putat consules esse sibi impedimento, quominus honorum cursum transcurrat: senatus

¹⁶ Cic., *Ep.*, fr. 2 Watt.

enim mandata perficiens, consulibus uiuentibus, omnia deperdita ducit. Ideo publicae rei noxium, propitium sibi hoc capit consilium: se, consulibus interfectis, legionibus praefuturum. Quod Octauiano consilium moliente, Antonius, ne Caesaris partium duces et legiones ingenti clade se prosternant neu Pompeianis faueant, haud fortuito Id. Mar., anno post quam Caesar interfectus erat, ad Hirtium et Octauianum mittit epistulam, quam Cicero per V orationem Philippicam non sine ludibrio atque acerbitate posteritati tradit. Ideo Antonii coepta Ciceronis opera male cedunt.

Nam a. d. III Kal. Apr. Vibius Pansa Cassia uia cum quattuor legionibus in Galliam Cisalpinam maturat. Re cognita, Hirtius obviam collegae Sulpicium Galbam legatum mittit et paulo post Carfulenum cum Martia legione, quae paucis mensibus ante ad Octauianum defecerat, duobus additis cohortibus praetoriis.

Antonius, transuersis itineribus Pansam adortus, in paludibus ad Forum Gallorum insidias consuli necopinato struit; pridie Id. Apr., primo diluculo, copias Hirtianas profligat, in duas partes diuidit. Carfulenus pugnans perit, Galba terga uortit, Pansa in dextero cornu uolneratur. Fugientes insectatus, Antonius ad Pansae castra peruenit, quae, militibus obsistentibus, expugnare nequit. Sed Antonium uictorem, castra petentem, Hirtius cum quarta et septima legione fundit, duas aquilas, sexaginta capit signa. Cum Hirtius tum Galba per accuratam rationem certiolem faciunt Ciceronem, qui per XIV orationem Philippicam coram patribus habens, Pompeianos erigit, uictoriam collaudat: *sceleratissimorum hostium exercitum caesum fusumque cognoui, [...]. Ante uero*

quam sit ea res quam auidissime ciuitas exspectat adlata, laetitia frui satis est maximae praeclarissimaeque pugnae [...]. Ad Brutum liberandum legati missi principes ciuitatis qui illi hosti ac parricidae denuntiarent ut a Mutina discederet; eiusdem D. Bruti conseruandi gratia consul sortitu ad bellum profectus A. Hirtius, cuius imbecillitatem ualetudinis animi uirtus et spes uictoriae confirmauit.¹⁷

Orator uero, Octauiani consilium nesciens atque ignorans, adolescentem laudibus ornat: *Caesar, cum exercitu per se comparato cum primum his pestibus rem publicam liberasset, ne quid postea sceleris oreretur profectus est ad eundem Brutum liberandum uicitque dolorem aliquem domesticum patriae caritate.¹⁸*

Cicero autem, cum uitam inter bella ciuilia egerit, animum ferocem ferocioremque sensum ostendit: ciues, qui aduersariorum castra sequantur, scelleratos esse hostes habendos, quorum interitus laetitiam augere. Ideo utrique consuli uictori, Pansa profligato et uolnerato, senatus, Cicerone hortante, *supplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria constituat.¹⁹ C. Pansa A. Hirtius consules, imperatores, alter amboe, si eis uideatur, eis qui sanguinem pro uita, libertate, fortunis populi Romani, pro urbe, templis deorum immortalium profudissent monumentum quam amplissimum locandum faciendumque curent.²⁰*

¹⁷ Cic., *Phil.* XIV, 1 passim.

¹⁸ *Ib.*

¹⁹ *Ib.*, 37.

²⁰ *Ib.*, 38

Orator insuper qua uictoria elatus, haec de Octauiano addit: *C. Caesar pro praetore, imperator, consilio diligentiaque sua castra feliciter defenderit copiasque hostium quae ad castra accesserant profligari, occiderit: ob eas res senatum existimare et iudicare eorum trium imperatorum uirtute, imperio, consilio, grauitate, constantia, magnitudine animi, felicitate populum Romanum foedissima crudelissimaque seruitute liberatum, cumque rem publicam, urbem, templa deorum immortalium, bona fortunasque omnium liberosque conseruarint dimicatione et periculo uitae suae.*²¹

Antonius autem, copiis in castra reductis, recenti clade percussus aduersariorumque uires expertus, bellum committere non audet. Sed equitibus fisis, Decimum Brutum, a fame rerumque inopia laborantem, in deditionem uenturum sperat. Sed eodem die, quo Cicero postremam orationem Philippicam coram patribus dicit, Hirtius et Octauianus bellum committunt, Pansa, uolneribus debilitatus, in castris manet. Qua re coactus, Antonius equitatum in aciem ducit. Hirtius quoque et Octauianus in Antonium equites mittunt, dum exercitus in illam Mutinae partem maturat, parum ob aspera ac deuia locorum ab Antonianis seruatam. Qua re uisa, Antonius, timore ne Mutina capiatur, duas legiones in aciem ducit. Aduersarii, itinere deflexo, legiones adoriuntur. Dum ad Mutinae muros utrimque a legionibus acriter decertatur, ab Antonio ceterae uires in aciem deducuntur, quae uel improuisum ob iussum aut longum ob iter, lente procedunt. Inter certamen Octauianus praepollet, Hirtius contra, ut ex Appiano comperimus, qui Augusti

²¹ *Ib.*, 37.

habetur adsentator, in Antonii castra irrumpit, ubi ad praetorium transfoditur. Paulo post Octavianus, in castra armis ingressus, consulis corpus recipit ibique manet, donec ab Antonio pellitur. Quo teste, Octavianus tempore, quo Hirtius necatus erat, haud a castris longe pugnam conserebat; in castra postea peruenit, ut consulis corpus auferat.

Sed proelio confecto, haud pauci dictitant Hirtium ab Octaviano necatum. Rumor increbrescit. Tacitus enim, qui alia et aduersa nouerat testimonia, scribit: *sui milites Hirtium et machinator doli Caesar.*²² Suetonius contra, quibusdam perlectis scriptis, quae sunt postea deperdita, Octavianum criminatur: *Hirtium in pugna ab ipso interemptum.*²³

Quibus auctoribus perspectis ac perpensis, nullum est dubium, quin Octavianus, ut rerum potiretur, Hirtium mactauerit ipse. Foedum facinus! Quo tamen crimine patrato, perpaucis post horis Octavianus multo foedius, multo turpius, multo denique atrocius facinus facit, quia Pansam quoque extinguere iubet. Consul enim, ut Cicero in XIV oratione Philippica a. d. IX Kal. Maias habita, cum dicat: *in primis pugnaret duobus periculosis uulneribus acceptis sublatus e proelio rei publicae uitam reseruauit,*²⁴ mortifera tamen uulnera non acceperat. Nihilominus a. d. IX Kal. Maias Pansa paulo ante lucem, uita cedit, ut Decimus Brutus a. d. circiter VI Idus Maias ad Ciceronem scribit: *Sequi confestim Antonium his de causis, Cicero, non potui: eram sine equitibus, sine iumentis; Hirtium perisse nesciebam, Aquilam perisse nesciebam; Caesari*

²² TAC., *Ann.*, I, 10.

²³ SVET., *Aug.*, 11.

²⁴ CIC., *Phil.*, XIV, 26.

*non credebam prius quam conuenissem et collocutus essem. Hic dies hoc modo abiit. Postero die mane a Pansa sum accersitus Bononiam. Cum in itinere essem, nuntiatum mihi est eum mortuum esse. Recurri ad meas copias; sic enim uere eas appellare possum.*²⁵

Mortuo Pansa, Octavianus duos mittit nuntios, quorum alter Ciceronem de re certiore facit, Decimum Brutum petit alter, ne Bononiam contendat. Brutus in castra sua maturat. Cicero enim ad Decimum Brutum quae ab Octauiano accepit, scribit: *Consules duos, bonos quidem sed dumtaxat bonos consules, amisimus. Hirtius quidem in ipsa uictoria occidit. [...] Cum paucis diebus ante magno proelio uicisset. Nam Pansa fugerat uulneribus acceptis quae ferre non potuit. Reliquias hostium Brutus persequitur et Caesar. Hostes autem omnes iudicati qui M. Antoni sectam secuti sunt.*²⁶

Sed Decimi Bruti epistula alia, et ea praecipua, continet, quae sunt nobis consideranda. Pansa enim, inscio aut inuito Octauiano, Decimum Brutum arcessit, quem Octavianus omnimodis uitare studet. Pansae consilio cognito, Octavianus per Glyconem medicum uenenum uulneribus indit. Quo necato, nuntium ad Decimum Brutum mittit, ne Bononiam contendat. De quibus rebus Suetonius unus uera referre uidetur: *Hoc bello cum Hirtius in acie, Pansa paulo post ex uulnere perissent, rumor increbruit ambos opera eius occisos, ut Antonio fugato, re publica consulibus orbata solus uictores exercitus occuparet. Pansae quidem adeo*

²⁵ Cic., *Fam.*, XI, 13.

²⁶ Cic., *ad Br.*, 10.

*suspecta mors fuit, ut Glyco medicus custoditus sit, quasi uenenum uulneri indidisset.*²⁷

Octavianus, ut uidetur, gladio transfodit Hirtium, Pansa ueneno necat. Nam consulibus mortuis, consules suffecti magistratum non ineunt. Ideo Octavianus in uictorum castris unus summum detinet imperium; nam non solum legiones suas sed consulares etiam uires in dicionem suam reducit. Unus cum rerum sit arbiter, cum Bruto, quem omnium coniuratorum longe teterrimum habet et odio capitali afficit, colloqui non uolt: quocum nec imperium nec potestatem se communicare pati. Interim Romae, secundum Appianum, a. d. V Kal. Maias Cicero senatui suadet, ut legionum imperium uni Bruto concordet atque unanimi tradant, quamuis Pansa, uulneribus extenuatus, uiuus in castris maneat. Sed Asinius Pollio, bello confecto, ad Ciceronem scribit: *ibi Hirtium quoque perisse et Pontium Aquilam.*²⁸ Ceterum idem fere est a Suetonio relatum: *alterum e consulibus Hirtium in pugnae tumultu ab ipso interemptum.*²⁹ Pontius Aquila, proteruus tribunus et acer Caesaris intercessor, legatus erat a Pompeianis missus, ut consules inspiceret. Et ipse Octauiani iussu in acie necatur.

Apud Octavianum, ut apud Appianum, ad Antonium profligandum ac fugandum Decimi Bruti auxilium nullius fuit ponderis. Qui contra, Mutina egressus, est omnibus uiribus Antonium adgressus, ut nonnullis ex epistularum locis, quas Cicero ad Marcum Brutum misit, legimus: *Bruti eruptio non solum*

²⁷ SVET., *Aug.*, 11.

²⁸ CIC., *Fam.*, X, 33.

²⁹ SVET., *Aug.*, 11.

*ipsi salutaris fuit sed etiam maximo ad victoriam adiumento*³⁰ uel: *de Antoni fuga audisti, Bruti eruptione, populi Romani victoria.*³¹

Antonius contra, clade accepta, per Appenninum ad Lepidum maturat. Fugientem non Octavianus, sed Decimus Brutus cum copiis insequitur, ut ad Ciceronem scribit: *biduo me Antonius antecessit, itinera fecit multo maiora fugiens quam ego sequens. Ille enim iit passim, ego ordinatim. Quaecumque iit, ergastula soluit, homines abripuit; constitit nusquam prius quam ad Vada uenit.[...] Cum abessem ab eo milia passuum XXX et se iam Ventidius coniunxisset, contio eius ad me est adlata in qua petere coepit a militibus ut se trans Alpibus sequerentur; sibi cum M. Lepido convenire.*³² Alio eiusdem epistolae loco Decimus Brutus addit: *Pansa amisso quantum detrimenti res publica acceperit non te praeterit. Nunc auctoritate et prudentia tua prospicias oportet ne inimici nostri consulibus sublatis sperent se conualescere posse. Ego ne consistere possit in Italia Antonius dabo operam. Sequar eum confestim.*³³ In alia epistula ad Ciceronem Decimus Brutus his utitur uerbis: *Antonius ex fuga cum paruulam manum peditum haberet inermium, ergastula soluendo omneque genus hominum abripiendo satis magnum numerum uidetur effecisse. Hoc accessit manus Ventidi, quae trans Appenninum itinere facto difficillimo [...] se cum Antonio coniunxit. Est numerus ueteranorum et armatorum satis frequens cum Ventidio. [...] Quod si me Caesar audisset atque Appenninum transisset, in tantas angustias*

³⁰ Cic., *ad Brut.*, 11.

³¹ *Ib.*, 7.

³² Cic., *Fam.*, XI, 13.

³³ Cic., *Fam.*, XI, 9.

*Antonium compulsem ut inopia potius quam ferro conficeretur. Sed neque Caesari imperari potest nec Caesar exercitui suo.*³⁴

Ex postremo huius epistulae indicio comperimus Octauiani copias, Antonii uirtutis memores, bello recusare, hostis copias adoriri nolle. Ideo minime Octauiano fisis, Decimus Brutus, ante quam sit ab Antonio captus et necatus, ad Ciceronem scribit: *Cum primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiolem.*³⁵

His denique uerbis de Antonii consiliis Ciceronem docet: *scripsi tibi quae hic gererentur. In itinere est Antonius, ad Lepidum proficiscitur. Ne de Planco quidem spem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animadverti qui in me inciderunt. [...] Tu, quae istic opus erunt administrari, prospicies.*³⁶

Quibus cognitis, quid cogitauerit, quid senserit, quos in errores inciderit, quam sit in fraudem delapsus Cicero, facile comperimus, quem de subita atque euidenti Octauiani commutatione, cum Decimus Brutus tum Marcus Brutus per epistulas e Macedonia crebra acerbitate monet, ne Octauiano confidat. Sed orator, cum iterum se consulem futurum speret, obdurat. Perfidus adulescens, Ciceronis cupiditate cognita, aliqua uerisimili ratione, eundem consulatus collegam proposuisse creditur. Ceterum Octauianus, Plutarcho teste, timens ne imperio senatus decreto priuetur, Cicerone utitur, qui ob immoderatam honorum cupiditatem, tÍ ... filarc...v,³⁷ se, publica restituta re, magistrum futurum atque auctorem sperat. Ideo Marcus Brutus, Id. Mais e Macedonia

³⁴ CIC., *Fam.*, XI, 10.

³⁵ *Ib.*

³⁶ CIC., *Fam.*, X, 11.

³⁷ PLVT., *Cic.*, 45, 5.

Ciceroni scribit: *His litteris scriptis consulem te factum audiui. Tum uero incipiam proponere mihi rem publicam iustam et iam suis nitentem uiribus si istuc uidero.*³⁸

Quae cum scribat, Marcus Brutus fallacem fiduciam nec non uana Ciceronis proposita damnat: Antonio multo fallaciorem atque duriolem esse Octavianum, qui, ut patrem ulciscatur, milites conscribat. Antonius contra Marco Bruto gratiam habebat, quoniam ob eius contumaciam seruatus erat. Ideo Marcus Brutus ad Atticum scribit: *Haec mihi uidentur Ciceroni ultima esse in malis; et, dum habeat a quibus impetret quae velit et a quibus colatur ac laudetur, seruitutem, honorificam modo, non aspernatur, si quicquam in extrema ac miserrima contumelia potest honorificum esse. Licet ergo patrem appellet Octavius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat, tamen illud apparebit, uerba rebus esse contraria. [...] quid enim nostra uictum esse Antonium, si uictus est ut alii uacaret quod ille obtinuit?*³⁹

Mense Iulio Octavianus ad quadringentos legatos, per quos consul a patribus acclametur, in senatum mittit. Patribus affirmantibus Octavianum admodum esse iuuenem, *Cornelius centurio, princeps legationis, reiecto sagulo ostendens gladii capulum non dubitasset in curia dicere: "Hic faciet, si uos non feceritis"*.⁴⁰

³⁸ CIC., *ad Brut.*, 12, 4.

³⁹ CIC., *ad Brut.*, XXV.

⁴⁰ SVET., *Aug.*, XXVI.

Quo quidem modo Octavianus a. d. XIV Kal. Sept. *consulatum uicesimo aetatis anno inuasit.*⁴¹ Ideo ueridius ac dilucidius Tacitus: *extortum inuito senatu consulatum, armaque quae in Antonium acceperit contra rem publicam uersa.*⁴²

Augustus contra scribit: *Eo nomine senatus decretis honorificis in ordinem suum me adlegit C. Pansa et A. Hirtio consulibus consularem locum sententiae dicendae tribuens et imperium mihi dedit. Res publica ne quid detrimenti caperet, me pro praetore simul cum consulibus prouidere iussit. Populus autem eodem anno me consulem, cum consul uterque in bello cecidisset, et triumuirum rei publicae constituendae creauit.*⁴³

Tota autem uita, cum rei militaris parum esset peritus, pauca bella gessit Octavianus: legatos enim de pace mittere et accipere, quam hostes adoriri maluit. Nihilominus per ualidissimos legatos innumeras gentes imperio adiecit. *Ianum Quirinum*, Suetonio teste, *in multo breuiore temporis spatio terra marique pace parta ter clusit.*⁴⁴ Bellis igitur toto orbe confectis, ut Romam rediit, *aram Pacis Augustae senatus [...] consacrandum censuit ad campum Martium.*⁴⁵ Quibus perfectis, *graues tamen ignominias cladesque duas omnino nec alibi quam in Germania accepit, Lollianam et Varianam, sed Lollianam maioris infamiae quam detrimenti, Varianam paene exitiabilem tribus legionibus cum duce legatisque et auxiliis omnibus caesis.*⁴⁶

⁴¹ *Ib.*

⁴² Tac., *Ann.*, I, X.

⁴³ AVG., I, 2.

⁴⁴ SVET., *Aug.*, XXII.

⁴⁵ AVG., XII, 2.

⁴⁶ SVET., *Aug.*, XXIII.

Quas scilicet calamitates Populus Romaus uitasset, si Augustus illis Vergilii praeceptis obtemperasset:

*tu regere imperio populos, Romane, memento
hae tibi erunt artes, pacique imponere morem,
parcere subiectis et debellare superbos.*⁴⁷

HORATIVS ANTONIVS BOLOGNA

⁴⁷ VERG., *Aen.*, VI, 851 – 853.